

alterumve Patrem ad fidei dogma non pervenit: ut patet in consensu plerorumque de condito per successivas dierum moras universo, et de visione Dei mortalibus in vita negata, contra repugnantem Augustini vel paucorum aliorum dissensum, fidei certitudinem haud efficiente. Ubi tamen Ecclesiae definitio accesserit, aut sententiae singularitas solido fundamento caruerit, omnino deferendum est pluralitati excedenti.

216. *Dico IV.* Patrum unanimis consensus, sive omnium idem asserentium auctoritas est irrefragabilis. Dixi: *unanimis* consensus, seu *omnium* auctoritas; utriusque significatum, non in mathematico, sed in morali tantum sensu usurpando, atque extra concursum oppositae Patrum sententiae; quod Perronius in Responsione ad Regem Britanniae sic exponit: « Tunc unanimis Patrum consensus cumulate probatus aestimari debet, cum singularum nationum eminentissimi in alicujus rei assertionem conveniunt: ita ut inter illos nemo, qui semper orthodoxus semperque orthodoxis adhæsit, dissensiat. »

Prob. Ad Ephes. 4. v. 11. hæc leguntur: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi; donec occurramus in unitatem fidei et agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Atqui si unanimis Patrum consensus foret obnoxius errori, et omnium idem fidei dogma asserentium Patrum auctoritas esset refragabilis, Ecclesiae Doctores nec forent dati ad ædificandum corpus Christi, quod est Ecclesia: nec ad prohibendum, ne fideles circumferantur omni vento doctrinae: imo ipsi Patres fluctuarent errarentque, atque fideles insuper, utpote ad Patrum doctrinam sequendam obligatos, circumvenirent et in errorem impellerent. Ergo.

Conf. I. Concilia et Patres unanimem consensum Patrum tanquam fidei regulam proponunt, et discussum ab eadem damnant. Nam Conc. Ephesium. Act. 1. ait: *Divinitus placuit, nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacra sibi consentiens sanctorum Patrum tenuerit antiquitas.* Nicænum II. Act. 1. Anathematismum septimum, a Basilio penitente pronuntiandum, his verbis describit: *Qui doctrinas sanctorum Patrum et Ecclesiae Catholicae traditionem contemnunt, quique causantur, et voces Arii, Nestorii, Eutycheis et Dioscori jactant dicentes, quod, nisi satis ex Vet. et Nov. Testamento instructi essemus, SS. Patrum et Ecclesiae Catholicae traditiones non sequeremur; anathema.* Conc. Lateran. sub Martino I. Consult. 5. definit, *condemnatum esse et alienum sanctae Dei Ecclesiae, quisquis non susceperit verbo et mente venerabiles Patres, cunctaque, quae ab illis pro fide orthodoxa composita sunt in destructionem omnium hæresum.* Tridentinum Sess. 4. in Decr. de Edit. et usu sacr. Librorum prohibet sub anathemate, *nequis Scripturam sacram contra unanimem sanctorum Patrum sensum interpretari audeat.* Eandem regulam stabiliunt Irenæus L. 4. adv. hæc. c. 63, Clemens Alex. L. 7. Strom., Origen. Tr. in Matth. c. 29, Ambr. L. 3. de Fide, Hieron. in Daniel. 12, Augustin. L. de Utilit. credendi c. 17, Gregor. L. 28. Mor. c. 9. etc. neglectam vero ab hæreticis exprobrant Euseb. L. 7. hist. c. 26,

Vincentius Lirin. in Commonit. 1. c. 4. et aliis, Aug. L. 1. cont. Julian., Fulbertus in epist. ad Adeodatum, cum aliis.

Conf. II. Nisi unanimis Patrum consensus infallibilis sit, 1. nec sensus Ecclesiae erit ab errore liber, utpote qui ex Patrum institutione et populi credulitate illi correspondente conflatur: 2. nec stabit Traditionis auctoritas; siquidem hæc aliunde, quam ex sanctorum Patrum testimoniis, apertius hauriri nequit: 3. nec Scripturae interpretatio satisfaciet ulla; cum revelatio verae intelligentiae nova expectari nequeat; per ingenii humani industriam producta nihil divinum habeat; traditio Patrum autem rejiciatur: 4. nec credibile est, tot tantosque viros, tempore, loco, ingenio, et conditione tam diversos in unam eandemque circa dogma aliquod sententiam conspirare potuisse, nisi Spiritu sancto auctore.

217. *Observe.* Asserta vindicare pluribus haud est opus. Nam et apud Protestantibus verecundiores coepit jam haberi reverentia Patribus, maxime priorum quatuor seculorum; ut plures eorum scriptores tum verbis disertis tum adhibitis Patrum testimoniis prodiderunt: quæ vero exaggeratius de unius, præcipue S. AUGUSTINI, auctoritate dici poterant, tum alibi tum in Tract. de Deo potissimum exhaurientur. Porro nihil singulare aut a communi omnium opinione alienum habet, quod circa concursum inæqualis Patrum auctoritatis fuit propositum. Demum quæ contra unanimis consensus auctoritatem et pondus proferri solent, vel communia sunt cum iis; quæ contra Ecclesiae universitatem et Conciliorum collectionem objecta dissolvimus, vel ex usurpata sub variis acceptionibus Patrum distinctione jam dissipata sunt, aut dilui facile possunt.

ARTICULUS III.

Quenam sint Cautelæ et Regulæ pro intelligentia, quinam Canones pro usu Theologico SS. Patrum?

218. *Nota.* Præter auctoritatem Patrum, quæ sedem argumentationi Theologicae præbet, ad alia attendere oportet eum, qui sine abusu, et solido cum fructu, legere sanctorum Patrum opera, lecta intelligere et intellecta usurpare desiderat. Ad tria universim capita reducere eadem juvat, scripta scilicet, scribentes, et scriptionem: circa quæ postquam cautelas pro lectione et regulas pro intelligentia dederimus, canones circa usum eorundem addemus.

219. *Dico I.* Cautelæ pro lectione Patrum sunt sequentes:

I. Circa scripta. 1. Discerne inter libros vere aut falso Patribus adscriptos; item inter certo genuinos et dubios aut incertos. 2. Adverte an originarium sit scriptum, an versio tantum; et quo auctore facta? 3. Disquire de textu laudato, integerne sit, an corruptus, mutilus vel a contextu divulsus.

II. Circa scribentes. 1. Attende an Patrum quis juvenis adhuc aut vero senex, an catechumenus etiamnum vel fidei mysteriis plene imbutus, an lapsus in errorem aut ante lapsum, an animo pacato et extra offensam aut subratu et contentiosus scripserit; cujusmodi diversitatem in Augustino, Lactantio,

Tertulliano et Cypriano notare juvat. 2. Dispice an scriptor merum agat testem rerum sua ætate creditarum vel observatarum; an Doctorem, quod credendum vel observandum sit, præscribentem; an utrumque simul præstet? 3. Nota an loquatur in persona propria vel aliena; an solum disputando et velut dubitanter inquirendo procedat, vel asserendo; an oratorie et rem forsitan exaggerando, aut dogmaticè et rigoroso sermone eloquatur; an obiter et velut aliud agendo, aut principaliter et ex proposito rem tractet? 4. Observa an doctrina, antiquitate, præsertim fidei integritate excellat, aut lapsus in errorem sit, qui benigna interpretatione mitigari nequeat, vel communi jam judicio, nec temere, sit notatus? 5. Respice ad tempus ortam hæresin forsitan præcedens, aut ubi de damnato postea errore, salva adhuc fide, dubitari poterat vel contra.

III. *Circa scriptiorem.* 1. Examina num quæstionis, quæ tractatur, materia sit Philosophica vel naturalis alterius scientiæ; an vero Theologica, eaque ad fidem pertinens, aut disceptare in utramque partem orthodoxis adhuc licita? 2. Distingue an sensus verborum sit proprius et simplex; aut metaphoricus et figuratus; an constans et conveniens cum alibi dictis, aut contra retractatus vel discrepans? 3. Perpende an sensus forsitan obscurus ex contextu vel comparatione cum aliis, vel ex scopo ac directione illustrari nequeat. 4. Observa num iisdem aut similibus mediis phrasim fortasse durior et usu jam obsoleta emolli non possit? 5. Adverte ad scopum scribentis, crinomenon argumenti, et substratam quæstionis materiam. 6. Denique attende ad quos sermo sit prolatus, contra quos disputatio sit directa, et qua occasione quæstio sit tractata?

220. *Dico II.* Regulæ pro *intelligentia* Patrum sunt sequentes: I. Opera genuina Patrum discere vel ex judicio Criticorum Catholicorum et sobriorum, vel ex editionibus recentioribus et probatis. II. Primigenia lectio præhabenda est translata: pro versionibus seligendis prior etiam regulæ valent. III. Textum laudatum confer cum libro; nisi laudatoris fides sit probata. IV. Qualitates Patrum pernosce ex eorum historia: officium scriptoris collige ex verborum formulis: oratoriam locutionem cape etiam ex auditoribus, ad quos sermo est factus. V. Diligens ad lectionem attentio docebit, quæ loquatur persona, quæ dubitet, quæ asserat. VI. Durius dictum, si res faveat, securitati temporis aut zelo impugnationis tribue. VII. Errorem Patris, nisi apertus sit, excusa et designatis mediis emolli: ab eodem etiam, aut singulari forsitan opinione illius aliqua, modeste discede, et salva ejus honorificentia, ut Aug. inquit. VIII. Locutionem dogmaticam intellige tum ex opposito contrarium sentientibus anathemate, aut oppositi tanquam hæretici dogmatis damnatione: tum ex asserti tanquam dogmatis fidei propositione, aut in catechesi vel sermone ad Neophytos tanquam credendi inculcatione. IX. Metaphoram dignosce, si nec in omni aut longiore sermone, nec sæpe, nec coram quibuscumque phrasim ejusmodi occurrat, neque admirationem moveat aut probationem exigat. X. Semper præ oculis habe scriptiorem et scribentis finem ac scopum.

221. *Dico III.* Canones pro *argumentatione* ex Patribus sunt sequentes: I. Patrum scripta non præbent argumentum, nisi genuina et certa, atque

ex originario textu vel probata versione desumpta. II. Non valet auctoritas Patris in eo, quod Ecclesia vel Pontifex tanquam erroneum respuit vel declarat. III. Ut textus quidpiam probet, integer, clarus, cum mente auctoris congruens, nec retractatus sit oportet. IV. Patres loquentes ut testes rerum sua ætate creditarum aut observatarum, etsi etiam omnes non referantur, præbent certitudinem de facto; quia videntur exceptione majores. V. Patrum auctoritas sive paucorum sive plurimum in quæstionibus Philosophicis aut scientiarum naturalium haud certum suppeditat argumentum; sed tantum probat, quantum naturalis ratio persuadet. VI. Eorundem Patrum auctoritas in genere quæstionum Theologicarum, quæ ad fidem non spectant, certitudinem non facit. VII. In materia fidei vel morum dogmatica unius alteriusve Patris non reprobata auctoritas probabilitatem quidem asserti, non item certitudinem. VIII. Plurimum Patrum auctoritas in eadem materia firmum omnino argumentum Theologo necdum præstat, si alii adhuc pauciores reclamant; nisi forte pauciorum sententiam reprobaverit Ecclesia, aut plurimum illam probarit. IX. Unanimis consensus Patrum aliquid velut fidei dogma tradentium firmum certumque subministrat fundamentum, illud pro fidei dogmate acceptandi. X. Iidem cum proportionem canones tenent in expositione sacrarum scripturarum circa illarum sensum a Deo intentum.

222. *Observa.* Juvat sabinde aut etiam oportet selectum tum doctrinæ ex Patribus, tum Patrum pro doctrina facere. Pro priori normam dare poterit placitum VINCENTII LIRINENSIS: *Sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia: antiquitatem vero ita, si ab his nullatenus sensibus recedamus, quos sanctos majores nostros ac Patres celebrasse manifestum est: consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium vel certe pene omnium sacerdotum pariter ac magistrorum definitiones sententiasque sectemur.* Pro posteriori, præter respectum ad qualitates auctoritatem Patrum universim evehentes, attendere præsertim decet, quinam ex Patribus in eo quod delectum postulat argumento maxime et præcipuo cum fructu versati fuerint; quandoquidem tum exinde tum ex Ecclesiæ persuasionem facile constet, Patrem hujusmodi, ad illius doctrinæ propagationem non minus quam defensionem, specialiter fuisse a Deo suscitatum.

QUÆRES: *Quinam fuerint, et quæ scripserint sancti Patres?*

223. *Nota.* In concinnando SS. PATRUM syllabo, hos ita a Scriptoribus Ecclesiasticis distinximus, ut, pro usu aliorum etiam recepto, religioni tamen nobis non duxerimus, in Patrum numerum scriptores sanctitate carentes aliquoties inserere, si eruditionis fama et librorum copia præcelluerint, sanctos autem viros inter Ecclesiasticos Scriptorum tantum referre, si vel scriptis non abundarint vel scripta non amplius præsto sint. Percurrimus autem duodecim duntaxat priora secula, tanquam sola Patrum feracia: in eorum quolibet præponimus Patres adnotata eorum conditione et ætate, atque scriptas ab ipsis lucubrationes nominamus designato universim eorum scopo aut argumento; tum judicium Criticorum de scriptoris opere et stilo addimus: editionis denique præstantioris auctorem, locum, et tempus declaramus,

Porro in scriptorum Ecclesiasticorum subjuncta recensione, ob brevitatis studium, satis judicavimus, omissis reliquis, sola opera cum descriptionis vel mortis anno indicasse.

SECVLUM I.

BARNABAS Apostolus et Pauli socius, juxta Hieron. L. de Script. Ecclesiasticis, Origen. L. 3. Periarch., et Clem. Alex. L. 2. et 3. Strom., circa an. 97. scripsit *Epistolam ad fideles*, cujus pars prima ad fidem contra Judæos, secunda ad mores pro Christianis pertinet. Authentia non est extra dubium.

CLEMENS I. Rom. Pontifex, juxta alios ante an. 71, juxta alios an. 97. scripsit *epistolas 2 ad Corinthios*. 1^a adhuc integra Corinthiorum schisma componere studet: 2^a, non æque authentica fragmentum duntaxat superest. Attribuntur eidem Canones et Constitutiones Apostolorum, Libri 10 Recognitionum, et Homiliae Clementinae: sed passim hæc habentur pseudonyma et tribus seculis posteriora.

DIONYSIUS Areopagita, a Paulo Athenis conversus, an. 95. mortuus, scripsisse a multis dicitur Lib. 1. *de cælesti Hierarchia*; 1. *de Hierarchia Ecclesiæ*; 1. *de Divinis nominibus*; 1. *de mystica Theologia*; cum 11 *epistolis* ad diversos: ab aliis tamen Anonymo See. 4. vel 5. tribuuntur. Editio Corderii. Antuerpiæ. 1633.

HERMAS, Pauli discipulus, circ. an. 95. Scr. LL. 3. quorum primus inscriptus *Ecclesia 4 visiones*, secundus *Pastor 12 mandata*, tertius 10 similitudines complectitur. Laudatur ab Antiquis; a Recentioribus subin carpitur.

SECVLUM II.

IGNATIUS ep. Antiochenus, dictus *Theophorus*, in Romano ad martyrium an. 107. superatum itinere, scripsit 7 *epistolas*; Smyrnæ quidem ad *Ephesios*, ad *Magnesianos*, ad *Trallenses* et ad *Romanos*; Troade autem ad *Philadelphios*, ad *Smyrnæos* et ad *Polycarpum*. Diu lectæ in Ecclesiis, habentur pro illustri monumento antiquæ fidei et disciplinæ. *Stylus* redundat, sed est simplex. *Editio* Antuerpiensis 1698.

JUSTINUS Philosophiam professus, circa an. 133. factus Christianus, an. 167. Martyr. Scripsit 2 *Apologias* pro Christianis, *Dialogum cum Tryphone* Judæo pro veritate Christianæ Religionis, 2 *Tractatus de Monarchia* sive unitate Dei, et *Parænesin ad Græcos*. Apologia ordine impressionis posterior scripta est Romæ an. 150, prior proxime ante martyrium. Photius notat in iis multam eruditionem et cognitionem Philosophiæ ac Historiæ consummatam. *Stylus* est planus et incomptus. *Editio* Prudentii Maran Parisiensis 1742.

IRENEUS, Papiæ et Polycarpi discipulus, Ep. Lugdunensis e Græcia an. 157. in Galliam missus, subiit an. 202. martyrium. Præter *epistolam de Paschate* ad Victorem, quæ apud Eusebium, et alia fragmenta, quæ apud alios exstant, scripsit LL. 6. *adversus hæreses* Gnosticorum omnis generis. Habitus est a Tertulliano omnium doctrinarum curiosus explorator. *Stylus* est adstrictus et energicus, sed simplex. *Editio* Renati Massuet Veneta 1734.

CLEMENS ALEXANDRINUS, sive a patria sive a schola sic dictus, factus Presbyter, Pantæno in Catechesi publica Alexandriæ an. 189. successit: inde ob persecutionem an. 202. digressus, post commorationem in Cappadocia et

Antiochiæ, moritur circa an. 217. Ex scriptis plurimis supersunt *Protrepticon* seu Exhortatio ad Gentiles; LL. 3. *Pædagogi* seu Instructionis pro Gentili jam converso; LL. 8. *Stromatum* sive operum ad instar straguli variorum; *Homilia* de salute divitum, et fragmenta ex LL. 8. *Hypotyposèon* seu Institutionum. Habetur pro magistro Philosophiæ Christianæ, inter Scriptores Ecclesiasticos sapientissimo, eruditione et cogitationum sublimitate præstantissimo. Protreptici et Pædagogi *stylus* juxta Photium est floridus et elevatus: Stromata minus artis habent et speciem annotationum in varia scripturæ loca. *Editio* Joannis Potteri Oxoniensis 1715.

POLYCARPUS Ep. Smyrnensis † 166. scripsit epistolam unam ad Philippenses.

TATIANUS, ante an. 171. et suam hæresin, Orationem ad Græcos.

HERMIAS, Philosophus Christianus circa idem tempus Irrisionem Philosophorum gentilium.

ATHENAGORAS, Presbyter Atheniensis, an. 177. Apologiam seu Legationem pro Christianis et L. de Resurrectione.

HEGESIPPUS, ex Judæo Christianus, † 181. LL. 5. Historiæ Eccles. a Christo passo ad suam usque ætatem.

THEOPHILUS, Ep. Antiochenus † 181. LL. 3. contra Christianæ Religionis calumniatores, ubi vox *Trinitatis* primo legitur.

Fragmenta tantum exstant:

EX PAPIÆ Ep. Hierapolitani LL. 5. de Expositione sermonum Domini;

EX QUADRATI et ARISTIDIS Apologiis;

EX MELITONIS Ep. Sardensis Apologia et epistolis, in quibus canon Scripturæ occurrit;

EX APOLLINARIS Ep. Hieropol. L. de Paschate;

EX APOLLONII Volumine contra Montanum et Cataphrygas;

EX SERAPIONIS Ep. Antiocheni L. de Evangelio Petri;

EX RHODONIS operibus contra Marcionem et alios, ac Tractatu in Hexameron.

Perierunt autem Opera PHILIPPI Ep. Gortynensis, MODESTI, MUSANI, DIONYSII Ep. Corinthii, MILTIADIS, THEOPHILI Ep. Cæsarcensis, BACHYLLI Ep. Corinth. et aliorum.

SECVLUM III.

SEPTIMIUS FLOR. TERTULLIANUS, a cultu Deorum et militia circa finem seculi 2. ad Christi sacra transgressus, et post nuptias Presbyter factus, defecit an. 205. ad Montanismum, ac demum propriæ sectæ auctor evasit, an. 243. mortuus. Opera ANTE LAPSUM scripta recensentur L. *de Baptismo*, L. *de Pœnitentia*, L. *de Oratione*, LL. 2. *ad Uxorem*, *Apologeticus* pro Christianis an. 200, L. *de Patientia*, L. *de Exhortatione ad martyrium*, *Apologeticus* ad Scapulam, L. *de Testimonio animæ*, L. *de Spectaculis*, L. *de Idololatria*, LL. 2. *de cultu feminarum*, et probabilius L. *Præscriptionis* adv. hæreses. Post LAPSUM referuntur LL. 4. *contra Marcionem*, L. *de Anima*, L. *de Carne Christi*, L. *de Resurrectione carnis*, *Scorpiacum* adv. Cainianos, L. *de Corona militis*, L. *de Pallio*, L. *contra Judæos*, L. *contra Præceam*, L. *contra Hermogenem* et *contra Valentinianos*, Libel. *ad Scapulam*, L. *de Pudicitia*, L. *de fuga in persecutione*, L. *de jejuniis* contra *Psychios* h. e. Catholicos, L. *de Monogamia*, L. *de Exhortatione castitatis*. A Cypriano habitus est pro suo

Magistro, a Vincent. Lirinensi, quot verba tot sententias, quot sententias tot victorias protulisse scribitur. *Stylus* est energicus, elevatus et impetuus, sed durus et obscurus. *Editio* Rigaltii Veneta 1744.

ORIGENES, dictus *Adamantius*, in Ægypto an. 185. successor Clementi Alexandrino datus in Catechesi, Presbyter in Palæstina ordinatus, ibidem post suam ex Alexandria proscriptionem scholam aperit: hinc subinde digressus in Cappadociam, Græciam et Antiochiam, fidem etiam in tormentis confessus, demum Tyri an. 254. moritur. Ex ejusdem sex millibus Scriptorum restant *Homiliæ* et *Commentarii* plurimi in universam fere Scripturam, *Hexaplorum* fragmenta multa, LL. 8. *contra Celsum* Christianorum impugnatores, *Philocalia*, seu Hymni et Poemata cum variis Tractatibus, LL. 4. *Περὶ Ἀρχῶν* seu *de Principiis*. Ob doctrinam, præsertim postremi Operis, multorum errorum, de quibus vide Conc. Œcum. V, damnatur ab Antiquis, excusatur a Recentioribus. *Stylus* perspicuus est et facilis, sed diffusus nimis et redundans. *Editio* Caroli de la Rue Parisiensis 1733-39.

THASCIUS CÆCIL. CYPRIANUS, natus Carthagine et post artis Oratoriæ Professionem, ibidem an. 250. Episcopus, exorta persecutione latuit aliquamdiu, redux demum an. 258. Martyr occubuit. Scripsit EPISTOLAS 81., et Libel. *ad Donatum*, LL. 3. *adv. Judæos*, L. *ad Demetrianum*, *Exhortationem ad martyrium*; Tractatus *de Idolorum vanitate*, *de Habitu Virginum*, *de Unitate Ecclesiæ*, *de Lapsis*, *de Oratione Dominica*, *de Mortalitate*, *de Opere et Eleemosynis*, *de Bono Patientiæ*, *de Zelo et livore*. Judice Lactantio fuit primus inter Patres vere eloquens. *Stylus* Masculus et gravis. *Editio* Stephani Baluzii cum Præf. Prudentii Maran Parisiensis 1726.

GREGORIUS Ep. Neocæsareensis. cogn. *Thaumaturgus*, ab Origene scientiis et fide, non item erroribus imbutus, moritur an. 270. Præter fragmenta perditurum, extant ab eo scripta, *Panegyris Eucharistica* ad Origenem, *Metaphrasis* in Ecclesiasten, *Brevis Expositio fidei*, *Epistola canonica de Lapsis*. Comparatur a Patribus cum Prophetis et Apostolis. *Editio* Gerardi Vossii Parisiensis 1622.

MINUTIUS FELIX c. an. 209. scripsit *Octavium* seu Dialogum inter Cæciliam gentilem et Octavium Christianum.

AMMONIUS Phil. Alexandrinus an. 220. Harmoniam Evangeliorum.

HIPPLYTUS Ep. Portus Rom. in Arabia an. 222. Canonem Paschalem, cum Tractatibus de Theologia, Deo, Incarnatione, Antichristo.

CORNELIUS Rom. Pon. an. 251. ep. 1. ad Lupicinum et 2. inter Cyprianicas.

DIONYSIUS Ep. Alexandrinus † an. 265. epp. contra Paul. Samosatenum, de diversis capitibus ad Basilidem, de Resurrectione Domini et Paschalis jejunii termino.

MALCHION Antiochenus an. 270. ep. synodicam cont. Paulum Samosatenum.

ANATOLIUS Alexandrinus an. eod. Canonem Paschalem.

PAMPHILUS M. circa an. 294. Apologeticum pro Origene.

Fragmenta solum superant:

EX CAII Rom. Presbyteri Dialogo et Labyrintho;

EX ALEXANDRI Ep. Cappadocis epistolis;

EX JULII AFRICANI Chronographia et ep. ad Aristidem;

EX THEOGNOSTI Alex. LL. 7. Hypotyposeon;

EX ARCHELAI Ep. Cascharensis ep. et actis Disputationis cum Manete;

EX METHODII Ep. Tyrii LL. de resurrectione, Creaturis, Libero arbitrio etc.;

EX PHILEE Ep. Thmuitæ Epist. de martyriis.

EX ASTERII URBANI Ep. cont. Montanistas;

EX VICTORINI Ep. Petavionensis Comment. etc.

SECULUM IV.

ATHANASIUS Ep. Alexandrinus ab an. 326. usque ad an. 373. præcipuus Arianorum debellator, ab iisdem præcipue etiam vi ac fraudibus exagitatus. Præter Orationes, alteram contra gentes, alteram de Incarnatione, ante Episcopatum editas, scripsit EPISTOLAS 30 et amplius: ORATIONES 5. *contra Arianos*, 2. *contra Apollinarium*, 1. *contra Gregales Sabellii*; alias *contra omnes hæreses*, *de Melchisedec*, *in Assumptionem Domini*; *quod unus sit Christus*; APOLOGIAS 2. *de sua fuga*, 1. *ad imp. Constantium*; *Refutationem* hypocriseos Hæreticorum circa homousion; *Expositionem fidei*; *Protès-tationem* populi Alexandrini; *Libellum precum*; HOMILIAS sive sermones *de Semente*, *de Virginitate*, *de Sabbatis et Circumcisione*; *Commentaria* in illud: *Omnia tradita mihi sunt a Patre*; in istud: *Quicumque dixerit verbum contra Filium etc.*; in id: *Profecti in pagum etc.*; *Fragmenta Commentar. in Jobum et psalmos* adhuc exstant. Teste Sozomeno, vita Athanasii morumque ratio norma Episcopatus erat, dogmata autem ejus pro fidei orthodoxæ lege habebantur. *Stylus* juxta Photium elegans simul ac splendidus, clarus ac floridus. *Editio* Bernardi Montfaucon Parisiensis 1706.

HILARIUS Pictavis in Gallia natus, et post matrimonium comparatamque eruditionem Christianus, ac demum Episcopus an. 354. creatus, exilio in Phrygia pro fide tolerato, et frequenti contra Arianos victoria celebris, redux in patria an. 368. decessit. Opera ejus sunt LL. 12. *de Trinitate*; LL. 2. *ad Constantium* et 1. *contra Eumdem*; L. *adv. Arianos* et *Auxentium*; L. *de Synodis* cont. Arianos; *Commentarii* in Psalmos et Evang. Matthæi; *Fragmenta ex Historia de Synodis Ariminensi et Seleuciensi*. Judicium Hieronymi hoc est de ejus scriptis, dum ait Hilarium legi posse sine errandi periculo; de *stylo* autem, dum Latine eloquentiæ Rhodanum appellat. *Editio* auctior Scipionis Maffæi Veneta 1730.

BASILIIUS Cappadox, exactis studiis monasticen sectatus, inde ad Presbyteratum an. 364, ad Episcopatum Cæsareæ in Cappadocia an. 370. eVectus, superatis Arianorum aliquot pugnis, quietus an. 379. obit. Scripsit HOMILIAS 9. in *Hexameron*, 17. in *Psalmos* quosdam, 31. varii argumenti; SERMONES 2. *de jejuniis*, 2. *de Institutione Monachorum*, 1. *de Abdicatione rerum*; *de cultu seu exhortatione monastica*, *de vera ac pia fide*; LIBROS 5. *adv. Eunomium*, 2. *de Baptismo*, 1. *de Spiritu sancto* ad Amphilo-chium; *de vera virginitate*; *Commentarios* in 16 priora *Isaie* capita, *Proæmium Ethicorum*, et 80. *Capitula Ethica*; *Prefationem in Ascetica*; *Constitutiones monasticas*; *Regulas* 55. *fusius disputatas*; 313. *breviares*; EPISTOLAS 3 *Canonicas ad Amphilo-chium*, 2. *ad Monachum lapsam*, 1. *ad Virginem lapsam*, 1. *ad Chilonem Anachoretam*, alias 428. Meruit Panegyrum a Nazianzeno, et *Magni* titulum a Theodoro, quem etiam apud omnes obtinet. *Stylus* secundum Photium est purus, elegans, perspicuus; illiusque oratio ita fluit, quasi ultro tanquam e fonte rivulus scaturiret. *Editio* Julii Garnerii, cura Prudentii Maran completa Parisiis 1730.

GREGORIUS Nazianzenus, studiis defunctus et vita monastica cum Basilio aliquamdiu fruitus, sacratus a Patre an. 361. Presbyter, a Basilio an. 372. Episcopus Sazimorum; sexennio post Ecclesiae Constantinopolitanae datus; sed ea an. 381. abdicata, post biennem Nazianzenae administrationem, vixit solitarius usque ad mortem, quae an. 392. obtigit. Scripsit ORATIONES 5. de Theologia adv. Eunomium et Macedonianos, 13. de Pace, 2. adv. Apollinarianum, 34. alias varii argumenti: LL. de fide Nicæna; Apologeticos, unum de sua fuga, alterum, cum Episcopus fieret: Invectivas 2. in Julianum: EPISTOLAS 242: POEMATATA 78. metro vario; 64. Carm. heroico; 2. Iambico. Omnium iudicio erat in omni disciplinarum genere praestans, in Theologia summus; unde et nomen Theologi per antonomasiam sortitus. Stylus grandis, sublimis, majestate plenus. Editio Jacobi Billii Parisiis 1630.

EPIPHANIUS e monasterio an. 368. ad Episcopatum Constantiensem in Cyprom promotus diuturna lite cum Joanne Hierosolymitano vexatus, et Theophili Alex. causa cum Joan. Chrysostomo collisus; post frequentes contentiones et profectiones, in itinere an. 402. quievit centenario proximus. Edidit Ancoratum sive sermonem de fide; Panarium seu tomos septem contra 80. haeresees; Epitomen Panarii; L. de Ponderibus et mensuris; Epistolas unam ad Joannem Hierosol., alteram ad Hieronymum. Scripta ejus ab eruditis propter res, a simplicioribus propter verba quoque lectitari, Hieronymus testatur. Editio Dionysii Petavii Coloniae 1682.

GREGORIUS, Basilii frater, post conjugium amplexus Clerum, electus est an. 372. Ep. Nyssenus; pulsus haud multo post ab Arianis, sedi an. 378. est redditus: tum ob celebrata Concilia, tum ob negotia ab iisdem sibi commissa peregre diu versatus, ad coelum ante an. 403. transit. Ab eo habentur COMMENTARII in Psalmos, Ecclesiasten, Cantica, et aliquot Scripturae textus: Hexameron; LL. 13. cont. Eunomium; L. de hominis officio; Syllogismi 10. cont. Manichaeos; Libel. de imagine Dei in homine; Tractatus adv. Graecos; adv. Apollinarem; cont. Fatum; cont. usurarios; cont. eos, qui castigationes aegre ferunt; quod tres Deos dici non oporteat; ORATIONES 8. de vita beata; 5. de Oratione Dominica; 2. de Anima creatione; 2. de pauperibus amandis; 1. Catechetica magna; de Deitate Filii et Spir. S.; de Baptismate; in eos qui baptismate differunt; in suam ordinationem: SERMONES vel homilias septem et amplius de mysteriis Domini; Panegyricas et funebres plures de sanctis; sermones de vita Moysis; de Anima; de Virginitate vera et incorrupta; de Perfectione Christiani; de Proposito secundum Deum; de infantibus praemature mortuis; quid nomen et professio Christiana velit; DIALOGUS de anima et resurrectione; VITA Gregorii Thaumaturgi, Macrinae Sororis: EPISTOLAE sex, inter quas una de Pythonissa. Censente Photio, magna eruditionis laude enituit. Stylus illi, si cui Rhetorum, erat illustris ac juvenilitatem auribus instillans. Editio integra Parisiis 1638.

AMBROSIUS Consulari in Liguria dignitate fungens, infantili aut potius Divina voce in Episcopum Mediolanensem proclamatus, exantlatis pro fide et disciplina Ecclesiae laboribus plurimis an. 397. concessit fati. Composuit COMMENTARIOS sub Annotationum, Tractatum, aut Sermonum nomine in varia capita Exodi; Levitici, Numerorum, Deuteronomii; in 4^{um} Regum, Jobum, Psalmos, Proverbia, Ecclesiasten, Ecclesiasticum, Isaiam, Jeremiam, Daniellem, Jonam, Michæam, Aggaeum, Malachiam, Evangelium Lucae. Praeterea

LIBROS 6. in Hexameron, 1. de Paradiso, 2. de Cain et Abel, 4. de Noe et Arca, 2. de Abraham, 1. de Isaac et Anima, 1. de bono mortis, 1. de Esau et fuga seculi, 2. de Jacob et beata vita, 1. de Joseph, 1. de benedictionibus Patriarcharum, 1. de Elia et Jejunio, 1. de Naboth et Pauperibus, 1. de Tobia seu adv. feneratoribus, 4. de Interpellatione Jobi et Davidis, 2. Apologiae Davidis. Ad haec LIBROS 3. de Officiis, 1. de Viduis, 3. de Virginibus, 1. de Virginitate, L. de Virginitate, Exhortationem Virginitatis: Idem LIBROS 5. de Fide, 3. de Spiritu sancto, 2. de Penitentia, 1. de Incarnationis Sacramento, 1. de Mysteriis seu Initiandis, 2. de Excessu Fratris Satyri, et probabilius LL. 6. de Sacramentis: Demum ORATIONES 2. de Obitu tum Valentiani tum Theodosii Imp., EPISTOLAS 92, et HYMNOS 12. Delectat suis scriptis et simul instruit, universam fere doctrinam sacram seu theoreticam seu practicam complexus. Stylus est concisus, argutus, tessellatus, Senecae facundiam, molliori etiam vena imitatus. Editio Nicolai le Nourry Parisiis 1690.

ARNOBIUS scripsit an. 303. LL. 7. adv. Gentiles.

LUC. COEL. FIRMIAN. LACTANTIUS sub et post Sec. 4. initium LL. 7. Institutionum, Epitomen Earumdem, L. de Ira Dei, L. de Opificio Dei, L. de Moribus Persecutorum.

ALEXANDER Ep. Alex. † 326. epist. 2.

CONSTANTINUS M. † 337. Orationes aliquot, Epistolas plures, et Edicta.

EUSEBIUS Ep. Caesarensis in Palaest. nat. 270. † 340. Chronicon, Libros 10. Histor. Ecclesiasticae, 15. Praeparationis Evangelicae, 10. Demonstrationis Evangelicae, 1. de Martyribus Palaestinae, 1. cont. Hieroclem. 2. cont. Marcellum, 3. de Theologia Ecclesiastica cont. Eundem, 4. de Vita Constantini, Orationem de Laudibus Ejusdem, 1. de Locis hebraicis, Comm. in Ps. et Is.

EUSTATHIUS Ep. Antioch. † 345. Commentar. in Hexameron, Dissertationem adv. Origenem.

JUVENCUS Hispan. an. 330. LL. 4. Historiae Evangelicae, versibus.

JUL. FIRMIC. MATERNUS an. 337. L. de errore profanarum Religionum.

MARCELLUS Ep. Ancyranus an. 341. ep. Apologeticam ad Julium.

THEODORUS Ep. Heracleensis † an. 358. Commentar. in Psalmos.

SERAPION Asceta, cogn. Scholasticus, † cir. an. 358. L. cont. Manichaeos.

FAB. MAR. VICTORINUS † cir. an. 370. LL. 4. de Trinitate, L. de Generatione Verbi, L. cont. duo principia Manich., L. de Principio diei.

DAMASUS † an. 366. Epp. 3. Confessionem fidei, Carmina 40.

TITUS Ep. Bostrensis † 371. LL. 3. cont. Manichaeos.

CYRILLUS Ep. Hierosolymitanus † 386. Catecheses 18. ad Competentes, 5. Mystagogicas ad neobaptizatos, ep. ad Constantium.

PROEBADIUS Ep. Agennensis † post an. 392. L. cont. Arianos.

DIDYMUS Alex. † sub sec. 4. finem, L. de Spiritu sancto, L. adv. Manichaeos, breves enarr. in epp. Canonicas.

MARTINUS Ep. Turonensis † an. 400. Professionem fidei.

PHILASTRIUS Ep. Brixianus † an. 387. L. de Heresibus.

NEMESIUS Ep. Emisenus cir. an. 380. L. de Natura hominis.

IDACIUS CLARUS cir. an. 387. Expositionem locorum Scripturae, et opuscula contra haereticos.

EPHREM SYRUS † an. 378. Tractatus plurimos, sed plerosque homileticos et morales et Comment. in Script.